



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd mulieres velatae, aut in domibus suis habitum obseruent. liiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Quod mulieres velatae, in monasteriis, aut in domibus suis habitum obseruent. Cap. LIIII.

Mulieres obtentu religionis velatae, aut in monasterio regulariter viuant, aut in domibus suis susceptum habitum castè obseruent. *Ex decret. Eugenii pa. c. 28.*

Vt adolescentiores viduae, vel sanctimoniales, ab episcopo non negligantur. Cap. LV.

Ad reatum episcopi pertinet, vel presbyteri qui, parochia praest, si sustentandae ab Ecclesia vitae praesentis causa adolescentiores viduae vel sanctimoniales eorum familiaritatibus subiiciantur. *Ex concil. Carth. cap. 102.*

Vt vnusquisque episcopus clericos in suo episcopio vagantes, ad suum episcopum redire faciat.

Caput LVI.

Vt vnusquisque episcopus in sua parochia diligenter presbyteros vel clericos inquireat, vnde sint: & si aliquem fugitiuum inuenerit, ad suum episcopum redire faciat. *Ex concil. Moguti. cap. 19.*

De clericis vagis. Cap. LVII.

De clericis vagis, seu deacephalis, id est, de his qui sunt sine capite, neque in seruitio domini nostri, neque sub episcopo, neque sub abbate, sed sine canonica vel regulari vita degentes, vt in libro Officiorum secundo, Cap. tertio, de his dicitur: hos neque inter laicos, & inter secularium officiorum studia, neque inter clericos religio tentat diuina, sed solutos atque oberrantes, sola turpis vita complectitur & vaga: quique dum nullum metuunt, explendae voluptatis suae licentiam sectantur, & quasi animalia bruta, libertate ac desiderio feruntur, habentes signum religionis, non religionis officium, hypocentauris similes, neque equi nec homines. Tales omnino praecipimus, vt vbicumque inuenti fuerint, episcopi sine vlla mora eos sub custodia constringant canonica, & nullatenus eos amplius ita errabundos & vagos secundum desideria voluptatum suarum viuere permittant. Sin autem episcopis suis canonicè obedire noluerint, excommunicentur vsque ad iudicium episcopi regionis illius. Sin autem nec illi eos corrigere valuerint, omnino sub vinculis constringantur vsque ad synodum, vt ibi eis indicetur, vtrum ad iudicium principis, aut ad vniuersalem synodum deferantur, sub custodia publica.